THESIS

Luxemburg
M. R.
1855 GREIFSWALD

DE

MORBO BRIGHTII

EX SUPPURATIONIBUS CHRONICIS EXORTO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS CHIRURGICO - MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHICA

PRO SUMMIS

IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

DIE XXVII. MENSIS OCTOBRIS ANNI

MDCCCLV. — 1855

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MATHIAS REINER LUXEMBOURG,

RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

STOCKMANN, DR. MED.

ULRICH, MED. CAND.

WOLFF, MED. CAND.

GRYPHIAE,

TYPIS FRIDERICI HACHE.

Ex quo tempore Bright *) argumentis certis confirmavit, peculiarem quandam renum affectionem habere connexum cum hydrope et albuminuria, nullo in morbo explorando tanto studio tantaque assiduitate est elaboratum, quam in hoc, qui ejus viri nomine appellatur; vix unus attamen inveniatur, cuius cognitio magis adhuc in obscuro sit. Quae hujus morbi sit natura, quomodo ejus symptomata exoriantur referanturque ad se invicem, adhuc non plane est exploratum. Sententiae illis de rebus diversissimae pariter fere verae esse videntur. Quamquam nostris quoque diebus ab illustrissimis viris relationes exponuntur, quaestiones tamen controversae, quas proposuit medicis ille morbus, adhuc non satis sunt illustratae.

Quum in clinico chirurgico Gryphiswaldensi per hos duos annos occassio data esset observandi nonnullos aegrotos, qui morbis chirurgicis, ut ita dicam, laborantes, symptomatibus morbi Brightii affecti sunt, hoc in commentariolo nonnullorum historias proferre constitui, sperans fore, ut ad connexum, quem habet morbus Br. cum longinquis suppurationibus, ulcerationibus etc., intelligen-

*) R. Bright, diseases of the kidney in dropsy, in: Reports of medical cases. London, 1827.

dum, aliquid valerent, et magnopere gauderem, si lector benevolus auctorem oleum et operam non perdidisse judicaret. Neque hoc loco facere possum, quin gratias agam viro humanissimo Ill. Bardeleben, qui mihi permisit ut illos casus describerem nec minus et huic Ill. viro et Exper. Pohl pro libris maxima humanitate et liberalitate mecum communicatis.

I.

Nonnullos jam ante annos aegrotos suppurationibus, ulcerationibus et partium mollium et ossium ex longo tempore laborantes morbo Br. subito esse correptos, observatum est. Rayer*) nonnullos nephritide albuminosa (quo nomine huic auctori placet vocare morbum Br.) affectorum se vidisse commemorat, qui ommnes mala e dyscrasia scrophulosa exorta plus minusve evidenter praebuerint, veluti inflammationem scrophulosam oculorum, cutis, cariem etc.

Becquerel**) inter viginti quinque infantes morbo Br. correptos sex carie scrophulosa laborasse narrat. Frerichs***) quattuor aegrotos, quorum tres carie in articulis, unus necrosi erant affecti, inter quadraginta duos enummerat, qui in morbum Br. inciderunt. No. 5 et No. 13 commentariorum, qui appellantur: „Deutsche

*) Traité des maladies des reins. Paris. 1840. p. 471.

**) Séméiotique des urines ou Traité des alterations de l'urine dans les maladies; suivi d'un traité de la maladie de Bright. Paris 1841.

***) Die Bright'sche Nierenkrankheit und deren Behandlung. Braunschweig 1851.

Klinik", anno MDCCCLII. editorum, affertur, longinquam cruris ulcerationem nec non tarsi ossium cariem in duobus aegrotis certas esse causas morbi Br. — Frerichs (l. c.) similia tempore recentiore saepius relata esse narrat.

Quibus in omnibus casibus symptomata morbi Br. plerumque inde a primis initiis medici observarunt; tamen aliam causam, quam, quae diximus, mala, eruere non potuerunt; aegroti illis malis coacti lecto longum tempus erant affixi. Concludi igitur poterat, morbum Br. ex illis suppurationibus, carie etc., originem duxisse.

II.

Rayer, qui in casibus ab ipso observatis aegrotos esse infectos dyscrasia scrophulosa cognovit (aut certe opinatus est), non tantopere in ipsis suppurationibus etc. morbi Br. causam quaesivit, quam in dyscrasia scrophulosa. Exemplum secutus aliorum auctorum, ut Gregory et Christison, qui illa dyscrasia infectis maximam ad morbum Br. inesse proclivitatem judicarunt, Rayer, eodem modo uti alias inflammationes, eodem etiam nephritidem albuminosam e dyscrasia scrophulosa originem ducere posse arbitratur. Reinhardt*) hac de re docet haecce: „Es ist eine sehr gewöhnliche, wiewohl noch nicht genügend beachtete Erscheinung, dass bei Kranken, welche in Folge wichtiger Affectionen der Knochen und Gelenke oder umfangreicher eiternder Wunden sehr heruntergekommen, so wie bei Individuen, welche

*) Annalen des Charité-Krankenhauses zu Berlin. 1. Jahrgang, 1850. pag. 221.

an ausgedehnter Tuberculose, an grossen Carcinomen u. s. w. leiden, eine exquisite Bright'sche Krankheit, ohne dass eine äussere Schädlichkeit, Erkältung u. s. w. dazu Veranlassung gegeben und oft bei völlig ruhigem Verhalten im Bette entsteht .... Diese Nierenaffection lässt sich mit denjenigen Entzündungen anderer Organe, Catarrhen, Entzündungen seröser Häute u. s. w. parallelisiren, welche so häufig unter dem Einflusse sehr ausgeprägter Cachexien und bedeutender Erkrankung der Säftemasse ebenfalls ohne erhebliche, äussere Veranlassung zu Stande kommt. Die Entstehung der Bright'schen Krankheit wird hier aller Wahrscheinlichkeit nach durch eine bestimmte, bei den ebenerwähnten Krankheitszuständen vorhandene, allerdings aber noch nicht genauer bekannte abnorme Beschaffenheit des Blutes bedingt, ähnlich wie unter dem Einflusse gewisser Erkrankungen der Säftemasse, welche wir als Scrophulose zu bezeichnen gewohnt sind, chronische Entzündungen des Auges, der Haut u. s. w. oft gleichfalls ohne äussere Veranlassung entstehen." — Simili modo Frerichs (l. c.) Rayeri opinionem recensens dyscrasiam scrophulosam in morbo Br. gignendo minoris momenti esse putat, quam cachexiam illam ex longinquis ulcerationibus etc. evadentem; quae quum ita sint, elucet, quomodo fiat, ut morbus Br. in conspectum non prius se dare soleat, quam mala localia dissolutione sanguinis constitutionem corporis quassaverint, ut porro ulcerationes, quae non in dyscrasia scrophulosa sint positae, eundem eventum habere possint. — Walche*) aliique probare

*) The Lancet, Juli 1849.

voluerunt, morbum Br. ab initio esse statum sanguinis morbosum sui generis, et ut alii morbi ex sanguine prodeuntes (arthritis, rheumatismus, carcinoma, tuberculosis etc.) in constitutione occulta positum; materiam sanguinis morbosam eandem habere relationem ad renes, quam tubercula ad glandulas bronchiales etc.

III.

In prima, quam relaturus sum, historia morbi, feminam carie necrotica in articulo cubiti jam biennium laborantem eaque magnopere debilitatam symptomata morbi Br. exhibere videmus, quae post amputationem humeri, dum femina alimentis et medicaminibus roborantibus fruitur, paulatim evanescunt; in casibus II., III., VII., VIII. illa symptomata suppuratione largissima praecedente una cum omnium virium collapsu exoriuntur; in tertia symptomata praeter minimam albuminis in urina contenti copiam, medicamentis roborantibus adhibitis in longius tempus cedunt, quod plus minusve accidit reliquis in casibus. Quae quum ita sint, potestne fieri, ut nostris in aegrotis illa symptomata ex morbis, quos chirurgicos nominavimus, satis simplici modo oriantur? Suppurationibus, ulcerationibusque chronicis albuminis permagna copia corpus privatur, sanguis inde fit aquosus, ad nutriendum minus aptus, corpus macrescit, vires labuntur, telae tonum amittunt, fiunt laxae, vasorum sanguiferorum omniumque membranarum secernentium, per quos colantur, ut ita dicam, succi, porositas augetur, ex quibus omnibus sanguinis plasma multo facilius posse transsudare intelligitur. Magni

vero momenti est, quod in renibus (aortae tam vicinis), quibus arteriae crassae et breves sanguinem afferunt, parietes retis mirabilis corporum Malpighii et retis densi vasorum capillarium in substantia corticali multo majore sanguinis pressu expanduntur, quam vasa ullius alii corporis partis, praeterea quod in renibus fluida multo copiosiora, quam aliis in glandulis secernuntur. — Inde non mirum videtur, quod exsudatio in renibus plus minusvé (et alia fortasse quam hydrops qualitate), quam (hydrops) in aliis corporis partibus, apparet. Ut vero relaxatio telarum corporis gradu diversissimo esse potest, sic exsudata et quantitate et qualitate inter se maxime possunt differre.

Similis in illis, de quibus saepius relatum est, aegrotis, qui eodem tempore et chlorosi et albuminuria laborabant, ratio esse videtur, qui ferri praeparatis adhibitis ex utroque morbo eodem tempore convaluerunt. Organismus, quum natura ad alte excrescendum incitetur, huic impetui obsequitur, sed cum alimenta nimis tenuia vel parum nutrientia vel aliter non apta corpori afferantur, impeditur tali modo, ut ita dicam, bonitas telarum. Qua re albuminuria exoritur, quae denuo evanescit, ubi morbi causa alimentis aptis medicamentisque roborantibus remota est.

IV.

Sed, si renum degeneratio nostris in casibus non ex hyperaemia procedit, unde fit, ut ea tamen aegrotis mortuis omnibus fere in renibus inveniatur? — Semper aut omnia tria degenerationis stadia aut certe primum et secun-

dum in conspectum venere. Forsan hyperaemia hoc modo explicari potest. Sanguinis plasma et in tubulos uriniferos et in telas renum interstitiales transsudatur. Fibrinum coagulatur. Coagula, quae urina non proluuntur, degenerationem adiposam subeunt atque texta vicina in eandem trahunt. Vasa capillaria et exsudato compressa et ipsa degeneratione adiposa correpta passim collabuntur et sanguinis sunt expertia, quo fit, ut aliae partes sanguine abundent. Degeneratione procedente ei sanguinis quantitati, quae antea per omnia vasa renalia percurrebat, magis magisque spatium coarctatur. Hyperaemia, ita exorta, quamquam ipsa quidem exsudationem auget, passiva atque secundaria in renibus degeneratis est habenda.

V.

Quae si ita sunt, nostris in casibus morbus Br. morbus sui generis non est habendus, sed complexus symptomatum, quorum causa est debilitas totius corporis et resolutio omnium virium. Semper prius, quam symptomata illa intrabant, aegrotorum facies mirum in modum majorem praebebant pallorem (e flavo cineraceum), vultus languescebat, apathia eos invadebat aut in eis augescebat, unde reliquam illorum symptomatum cohortem jam appropinquare sciebamus.

Si aliorum corporis secretorum analysis, facta ante et post, quam albumen in urina et hydrops apparuit, esset in manibus, nonnulla, quae sententiam nostram affirmare possent, haud dubie manifestarentur. — Si diureticis

copia urinae emissae augebatur, quod rarissime fieri solebat, hydrops fere nunquam deminuebatur, et hydrope interdum remittente, aegrotus meliore non gavisus est statu. Martialibus aliisque tonicis adhibitis cuncta fere symptomata nonnullis in casibus in tempus longius breviusve evanuerunt.

Urinae secretio nunquam valde erat cohibita, tum demum, ubi renes maxime degenerati erant habendi et mors imminebat. De urinae qualitate est notandum, eam semper fuisse acidam, et praeter albuminis et fibrini copiam etiam salium uricorum (sedimentis e rubro fuscis, lutulentis, latericiis) magnam vel etiam permagnam copiam praebuisse. In morbo extremo tantum urina conditionem saepius exhibuit anaemicam et pallidam. Corpuscula sanguinis in urina non semper sunt inventa. Notatu dignum est, quod in aegrota, quae amputatione brachii facta convaluit, sedimentum, initio morbi copiosum, sanguineum, lutulentum, una cum albumine et fibrino pari gradu paulatim evanuit.

Quod attinet ad hydropem in morbo cachecticorum Reinhardt (l. c.) disserit haecce: „Das erste, oft längere Zeit hindurch ganz unbeachtet bleibende Symptom ist ein eiweisshaltiger Urin . . . . . . Wassersucht tritt verhältnissmässig spät auf, entwickelt sich sehr langsam, gewöhnlich erst an den Schenkeln uud verbreitet sich von hier aus langsam über die anderen Körpertheile. Die Krankheit kann hier aber, wie gesagt, lange ohne Wassersucht zu veranlassen bestehen und viele Kranke sterben, bevor diese Affection hinzutritt“. Unnm tantum aegrotum vidimus, quem hydrops non invasit; imo vero

in uno apparuit oedema pedum novem diebus prius, quam albumen in urina est inventum. Hydrops plerumque mox (die secundo vel vicesimo) post albumen in conspectum se dedit. Hinc igitur certe concludi potest, utrumque symptoma eandem habere causam. Hydropis initium plerumque extremitatum inferiorum oedema fecit, saepe una cum oedemate faciei; duobus in aegrotis oedema pedum simul cum ascite incepit.

Uraemia semel tantum observata est. Cujus raritas non minus mira esse videtur, quam ea res, quod urinae secretionem nunquam valde impeditam esse cognovimus atque eo explicari potest, quod aegroti prius consanuerunt, aut omnibus viribus exhaustis interierunt, quam renes ita erant degenerati, ut secretione urinae cohibita uraemia exoriri posset.

Doloribus vacuas esse renum regiones semper animadvertimus.

Utrum recte perspexerim an non, qui sit connexus inter morbos, de quibus agitur, non pro certo constituere audeo; sed conditiones, sub quibus symptomata, quae morbus Br. nominantur, prodierunt, sententiae meae firmandae serviunt.

VI.

Opinione nostra de morbo Br. nascenti in nostris casibus accepta, quamquam renes albumen sine aut cum fibrino secreverunt, nihilominus fieri potest, ut in mortuis aegrotis non minimum trium degenerationis stadiorum inveniatur, quod jam saepius relatum est. Qua in re hoc

accidere videtur, ut albuminis paululum secernatur, fibrini coagula non sint tam crassa, quibus tubuli uriniferi obturari possint, sed urina proluantur*) — usque ad mortem aegroto aliis causis allatam. — Porro hic se offert sententia, fibrinum, in quibus casibus albumen solum inventum est, fugisse observationem, quod quantitatem minütissimam fibrini coagulati urina continuerit. Sanguini circiter triginta quinque albuminis contra singulae fibrini partes insunt; quod efficit, ut nostris in casibus multo minus fibrini, quam albuminis transsudetur atque si albuminis minimum urina praebet, fibrinum abesse falso putetur.

Sed fortasse quispiam sententiae, quam retuli, opposuerit quaestionem, unde saepe fiat, ut homines suppurationibus et ulcerationibus per multos annos laboraverint, neque tamen illis symptomatibus corripiantur? Ad quam respondebitur, in diversis hominibus facultatem morbo resistendi esse diversissimam, digestionis organa ejusmodi esse posse, ut assimilatione continua et vegeta damnum malis localibus corpori illatum, plus minusve expleant, quo telae sanguisque non ita depraventur, ut illa symptomata exoriri possint.

Historiae morbi.

I. S. W. uxor mercenarii, XXVI. annos nata, praeter intumescentiam glandularum colli, qua puella laborabat

*) Hoc loco notandum est, auctores, qui degenerationem renum in morbo Br. ex hyperaemia deducunt, initio morbi exsudationem e retibus vasorum corporum Malpighii solis in capsulas Bowmanni, procedente autem morbo hac via maxima ex parte minima, ex parte vasis capillaribus in telas interstitiales fieri consentiunt. (Quae res ex eo fortasse pendet, quod sanguinis pressu parietes vasorum retis mirabilis magis expanduntur, quam vasorum capillarium.)

se nunquam morbo correptam fuisse et mense Septembr. anni MDCCCLIII. feliciter peperisse narrat. Mense Decembri anni MDCCCLII. dolores sentire coepit, in articulo cubiti sinistri e causa externa non certa exortos; tum intumuit cubitus et erubuit. Chirurgus consultatus cataplasmata adhiberi ordinavit, incisionem fecit, postea articulum, qui in dies difficilius movebatur, unguentis tractabat. Tum et intumescentia pedum interdum animadversa esse traditur, quae post tempus vernum anni MDCCCLIV. non amplius intrabat. Cum articuli status in dies pejor fieret, aliusque medicus cariem inesse cognovisset, die primo m. Decembr. ejusdem anni mulier in nosocomium nostrum est recepta. — Faciem exhibuit macram, paululum tumidam, pallidam, cachecticam. Pulsus fuerunt parvi, molles, numero centum; ciborum appetentia adfuit bona, alvi excretio regularis. Aegrota de nullis questa est molestiis, nisi de affectione locali. In urina, turbida, subrubida, reactione parum acida, multam albuminis et cylindorum fibrinosorum copiam invenimus. Articuli cubiti amplificati, maxime oedematosi pars interna quinque, pars externa duo praebuit ulcera plus minusve profunda et fistulosa, ex quibus secretum ichorosum profluxit. Specillum fistulis immissum ad ossa carie correpta pervenire potuit. Partes molles in toto articuli ambitu valde oedematosae, cutis rubra et partibus subjacentibus affixa. Motus articuli, brachio in angulum rectum flexo, omnino fuerunt inhibiti. — Quum morbus per tam longum tempus perdurasset, membrum malo affectum pessimam accepisset conditionem, vires aegrotae maxime essent prostratae, et curatio operationis expers et cubiti

resectio perniciosae esse videbantur. Quam ob rem, (quamvis ex morbo Brightii malam prognosin sine dubio pendere persuasum nobis esset) amputatio die secundo m. Decembr. ita est facta, ut duae secundum Vermale in parte superiore brachii, cujus texta erant sana, laciniae (Fleischlappen) formarentur. Arteria brachiali, deinde arteria profunda br., nec non collaterali ulnari superiore, e quarum lumine sanguis projiciebatur, ligatura clausis, laciniae quinque suturis nodosis conjunctae sunt, vinctura necessaria est imposita. Per diem aegrota satis bene se habuit; quum vero magna reperiretur systematis vasorum irritatio, inf. fol. digit. est porrectum. —

Vulnus operatione effectum tam cito consanuit, ut jam die sexto m. Januar. anni sequentis (die XXV. post amputationem) omnino esset clausum et cicatrice obductum. — Hoc per totum tempus coenaesthesis aegrotae raro et nunquam gravius perturbata est. Respicienda erant primo maxime tempore et systema vasorum et tractus alimentarii functiones. Die sexto m. Decembr. inf. fol. digit. non amplius adhibebatur; hoc enim die pulsus, qui ad id tempus cognitus est frequens, satis plenus et expansus, repente factus est maxime irregularis; simul etiam vomitus incessit. — Die octavo ejusd. aegrota jam ita se habuit, ut remediis roborantibus tractari posset. Qua methodo, quum continuo adhibita esset, mulier, vulnere sanato, satis robustam et validam praebuit speciem. — Nulla accesserant alia morbi Br. symptomata, quam quae investigationibus chemicis et microscopio inveniebantur. A die tertio usque ad diem sextum m. Decembr. copia urinae horis viginti quattuor emissae

uncias octo vel duodecim aequabat. Quae urina, rubida, sedimentis lutulentis, salibus uricis copiosa, maxime acida, magnam albuminis copiam continebat. Microscopium in sedimentis manifestabat cylindros fibrinosos, cellulas et guttulas adiposas, sanguinis corpuscula, cellulas epitheliales, quae partim jam in adipem transierant. Die sexto et septimo ejusd. copia sanguinis corpusculorum, cellularum adiposarum adaucta esse videbatur. A die VIII. usque ad d. XII. ejusd. albuminis copia deminuebatur; a d. XII. usque ad d. XV. ejusd. largior urina mittebatur, quae paulatim clarior fiebat; minor reperiebantur et sedimenti et albuminis copia; microscopio eaedem videbantur res, sed valde minori numero. Die XXVII. ejusd. copia urinae missae fuit normalis; urina sedimentis et albuminis expers, omnino clara, subflava, reactione acida. — Die VIII. m. Januar. anni MDCCCLV. aegrota omnino sana est dimissa. Ad hunc usque diem (VI. Octobr. MDCCCLV.) bona gaudet valetudine.

II. L. B. XLIII annos natus, theologiae candidatus, qui et haemorrhoidibus et hypochondria jam diu laboraverat, a die XIV. m. August. anni MDCCCLIV. usque ad diem II. anni MDCCCLV. gonarthrocaces, mense Maj. a. MDCCCLIV. e causa externa non certa exortae, curandae causa in clinico chirurgico Gryphiswaldensi commoratus est. Aegroti, quum esset receptus, maxime macri et debilis articulus genu sinistri erat tumidus et fluctuans. Tibia et femur ad latus moveri poterant. In totius articuli ambitu et in sura oedematosa abscessus pure desi-

dente effecti et meatibus fistulosis inter se conjuncti esse videbantur, quorum unus supra calcem praebebat aperturam, ex qua pus liquidum et malum profluebat. Quum aegrotus ab amputatione adeo abhorreret, ut, priusquam erat praeposita, se nunquam huic operationi sese subjecturum esse diceret; curatione id tantum spectabatur, ut aegroti vires roborarentur, meatus fistulosi pure altius et expeditius deducendo tollerentur, puris secretio deminueretur et melior redderetur, ankylosisque genu (si posset) efficeretur. — Nec tunc, nec per totum tempus usque ad initium mensis Februar. a. MDCCCLV. ullum albuminis vestigium in urina est repertum, sed magna uratorum copia. Quod usque ad tempus multis incisionibus e regione calcis semper altius institutis fistulae cruris erant clausae; tres tantum aperturae in latere genu dextro, et una in fossa poplitea remanserant, ex quibus magna puris copia quotidie profluebat. Nec non illa genu mobilitas vinctura continente (e materia, quae „Gutta percha" nominatur, constante) nonnunquam applicata, erat deminuta. — Nihilominus suppuratione tam continua, tam longa, tam copiosa aegroti vires, licet alimentis aptis, medicamentis roborantibus adhibitis, valde erant exhaustae; speciem exhibuit pallidam et dolorosam. Medio mense Januar. decubitus in regione sacrali erat animadversus. — A die primo m. Februar. collabi coepit aegrotus. Quo die etiam oedema et pedem et crus sinistrum aegroti invasit. Die VI. ejusd. m. dexteri quoque pedis oedema exortum, urinae redditae copia maxime est deminuta. Die IX. ejusd. copia urinae vix aequavit uncias sex; urinae, rubidae, infuit sedimentum cruentum, multumque

albuminis, cylindrorum fibrinosorum, sanguinis corpusculorum. Die X. et XI. m. Februar. una cum febris symptomatibus diarrhoea incessit. Die XII. et XIII. oedema, diureticis adhibitis resistens, adauctum; ascites exortus. Die XVI. tussicula molestissima. Auscultatione et percussione infiltrationem tuberculosam adesse est probatum. Diebus octo sequentibus aegroti vires in dies collabebantur. Diarrhoea saepius intrabat, ascites crescebat; tussis vehementior; sputa purulenta; pulsus hecticus. A die XXIV. m. Februar. collapsus rapide augescebat; oedema, ascite crescente, paulatim evanescebat. Tussis, sputa eadem. Raucitas, dyspnoea in dies major. Auscultatione rhonchi sibilantes et mucosi audiebantur, infra claviculam sinistram rhonchus cavernosus. Noctu sudores largiores nunquam aberant. — Aegrotus mortuus est die II. Mart. Ex quo tempore morbi Br. symptomata erant exorta, status genu semper idem permanserat.

Visum repertum (XXXII. hor. p. mort.). Omnes thoracis venae sanguine liquido, e rubro caeruleo impletae. Ambo pulmones multis adhaesionibus et veterioribus et recentioribus pleurae costali implicati. In dextri pulmonis apice caverna magnitudine juglandis, cicatricibus veteribus pigmentatis circumdata est visa. Ceterum ambo pulmones tuberculis et miliaribus veterioribus recentioribusque et majoribus exsiccatis intertexti. Saccus pericardii multo fluidi serosi, subflavi impletus. Cordis volumen amplificatum. In cavo abdominali circiter quattuor librae fluidi turbidi et albumen continentis fuerunt. Superficies hepatis, cujus pondus sex liberarum fuit, verrucosa; hepatis textura degeneratione staeatomatosa correpta.

Lien amplificatus, mollis, fragilis, hyperaemicus. Quattuor lienes succenturiati. — Renes, quorum capsula propria facile detrahi potuit, amplificati, incisione facta stadium exhibuerunt primum et secundum degenerationis Br. Glandulae mesenterialis omnes pigmento intertextae; pleraeque induratae. — Fistula ani incompleta interna e varice haemorrhoidali exorta.

III. I. B. puer, XV. agens annum, parentibus sanis natus, qui bona valetudine semper erat, mense Decembr. a. MDCCCLII. in latus sinistrum cecidit, unde paulo post in coxae sinistrae articulo dolorem et rigorem levem sentire coepit, quae symptomata cura medici cujusdam, qui aegrotum neuralgia nervi ischialdici laborare judicavit, in dies increvere. Die XIV. m. August. a. MDCCCLIII in clinicum chirurgicum receptus est. Perscrutatione instituta et ex articuli functione cohibita et e statu coxae aegrotum coxarthrocace lenta laborare est cognitum. Die eodem ferro candente pone et ante trochanterem majorem duae striae longitudinales sunt applicatae, unde omnia symptomata, rigore excepto, mox cesserunt. Sed crusta (cauterisatione effecta) dejecta, illa quoque cutis pars, quae inter vulnera fuit sita, pessum data est, quo ulcus ($6\frac{3}{4}''$ longum, $3\frac{1}{4}''$ latum) exstitit, qnae aestivo demum tempore anni sequentis cicatrice fuit obductum. — At extremo mense Novembr. (a. MDCCCLIII) in interno femore, inter musc. adductores, ut videtur, tumor circumscriptus, pomi magnitudine, dolore et inflammationis signis absentibus, paulatim proveniebat; simul et regionis

inguinalis totus ambitus prominebat. Capsula vero articularis et femoris epiphysis, nec si compressisses, nec si caput femoris in acetabulum protrusisses, dolebant. Femur quidem sponte aegroti moveri minime potuit. In eundo aegrotus pelvi sola utebatur. Positio pelvis haud quaquam perversa; femur longitudine normali. Neque in pelvi, nec juxta vertebrarum columnam neque in femore, quantum manu explorari poterat, ullus locus dolens animadvertebatur. Glandulae secundum lineam innominatam solae erant turgidae. Ineunte anno MDCCCLIV ex illo tumore, in quo fluctuatio doloresque vehementissimi tum apparuerunt, punctione facta, c. tres unciae puris liquidi, cum sanguine, massisque caseosis mixti, profluxerunt. Inde ab hoc tempore abscessus tum majorem, tum minorem puris ejusdem qualitatis copiam secernebat; tum ejus apertura in longius tempus patebat, tum claudebatur; tum sponte sua, tum arte aperiebatur. Initio mensis August. paulo infra illam aperturam tumor alter eodem modo exstitit, qui incisione facta, ut prior, se jam habebat. Per utramque aperturam specillo usque ad ligamentum Poup. nec non in propinquum femur perveniri potuit, os nudum nusquam sentiri. Etiam tunc articulus dolore prorsus carebat, motus spontaneus deerat. Aegrotus hucusque speciem acceperat pallidam et maxime debilitatam. Die V. m. Septembr. ejus urina primum continuit parum albuminis, cui nonnullis post diebus non mediocriter aucto cylindri fibrinosi adjuncti inveniebantur. Dabantur alimenta roborantia ferrique praeparata. Sub finem (die XXV.) ejusdem mensis una cum febri, diarrhoeis, anorexia tota extremitas sinistra inferior dextraque superior

oedematose intumuit et paulo post dextra inferior ac facies. Mox invasit ascites.

Usque ad diem XIII. m. Octobr. hydrops crescebat, diarrhoeae interdum redibant, aegroti vires exhauriebantur. Dehinc symptomata continuo ferri usu ita deminuebantur, ut die VII. m. Januar. MDCCCLV abessent, urina minimum albuminis tantum contineret. Interea articuli status haud mutatus; quod fistula tamen superior ultimo tempore semper fuit aperta, inferior plane clausa. — Usque ad diem II. m. Jun. nihil, quod esset commemorandum, accidit. Quo die copia albuminis, quod nunquam in urina omnino abfuerat, magnopere adaucta apparuit nec non urina magnis cylindris fibrinosis abundavit. Die VII. ejusdem m. oedema iterum intravit extremitates inferiores et scrotum, ascites est exortus, quae ferri praeparatis mitioribusque diureticis resistentia usque ad diem XXIX. m. Jun. crescebant. Interdum diarrhoea et vomitus. E die V. m. Jul. hydrops, qui fuit ingens, una cum aegroti viribus evanescebat. E die XV. ejusd. vomitus saepius redibat; aegrotus vertigine, maxima capitis gravitate, aurium susurru, photopsia vexabatur. A die XXI. ejusd. articulus coxae sinister maximopere dolebat; extremitas semper fuit semiflexa, genu introrsum versum; qua aliam positionem aegrotus non patiebatur. Mortuus est die XXIX. m. Jul.

Visum repertum (h. XXIV. p. m.) Nullus rigor mortis. Glandulae in tota coxae sinistrae ambitu valde tumidae, vasis dilatatis intertextae. Omnes musculi circum articulum toti fere degeneratione adiposa correpti; item gradibus decrescentibus: flexores, extensores femoris, flexores,

extensores cruris. Acetabulum, cujus fundus plane defuit, omne ossiculis friabilibus et liquore sanguineo expletum. Caput femoris, collo deficiente, tanquam in trochantere sedens, fluido badio et cum fragmentis osseis mixto circumlutum, in cavum quoddam fuit impositum, quod pone spinam ant. inf. situm multa osseophyta circumdederunt. — Mediastino infuit multum adipis. Pleura pulmonalis utraque ubique cum costali adhaesionibus conjuncta. In externis pulmonibus et in adhaesionibus vetera tubercula sicca magnitudine lentis aut pisi. In cavo abdominali fluidum subflavum, floccosum. Et omentum majus et mesenterium (imprimis circa flexuras) multo adipe instructa. Lien paulo amplificatus, solidus, rigidus. Hepatis superficies cicatricibus tenuibus obducta; maculis flavis intertexta, in quibus mediis vasa dilatata, partim punctorum, partim ramorum speciem exhibentia sunt visa. Ren sinister capsula adiposa crassa indutus; capsula propria facillime detrahi potuit. Superficies tota albis punctis conspersa et nonnulla parte sanguine abundans. Incisione facta pyramides ex parte sanguinis expertes, striis subalbidis intertextas invenimus. Substantia corticalis striis latioribus ejusdem coloris fuit instructa, quae nonnulla vasa sanguine valde impleta circumcinxerunt. Ren dexter atrophia jam correptus.

IV. I. H., mercenarius, XXIX annos natus, robustus, habitu non cachectico, nunquam ullo morbo graviore laborasse dicitur. Die XII. mensis Novembr. in clinicum chirurgicum receptus est, quod ulcera habebat tria, magna, sinuosa, pus malum secernentia, quorum unum erat supra

spinam scapulae dextrae, alterum in margine musculi latissimi dorsi prope fossam axillarem, tertium in regione processus xiphoidei. Quae ulcera, ut ex aegroti narratione concludi potuit, abscessus fuerant, qui mense Octobr. brevibus intervallis haud quaquam dolentes in telis cellulosis spontanee exstiterant et e quibus sponte apertis multum puris profluxerat. Étiam tum abscessum (juxta primum ulcus) e fossa supraspinata usque ad acromion tendentem invenimus, qui, quum incideretur, magnam puris tenuis copiam demisit. Praeterea dorsum aegroti multis cicatricibus lividis, subcaeruleis et magnis et parvis erat obductum, quae quomodo essent exortae, aegrotus hebes et sermonis inops, scire negavit. Non aberat suspicio, quin hi abscessus symptomata dyscrasiae alicujus, imprimis syphiliticae, essent, quamquam habitus aegroti ad hanc suspicionem confirmandam nihil praebebat. — Et ille abscessus et ulcera medicamentis stimulantibus per longum tempus tractabantur sine ullo affectu. Unde suspicio illa iterum iterumque movebatur et quamquam aegrotus affectione syphilitica se unquam laborasse negabat, ut ex juvantibus nocentibus judicium hoc quoque in casu, ut saepius antea, nobis fieret, a die XXI. mensis Novembr. ei hydrarg. bijodat. rubr. gr. $\frac{1}{8}$ ter per diem porrigebatur, quae quidem medicatio, quum duabus post hebdomadibus nihil profecisset, intermissa est. Die XXVIII. ejusd. m. abscessus repente ortus magnitudine ovi anserini inter scapulam dextram et columnam vertebrarum est visus, e quo inciso multum puris floccosi profluxit. — Die XVI. m. Decembr. aegrotus tumorem dolentem, $6\frac{1}{2}''$ longum, in femore sinistro, posteriori, medio est questus,

quo die et diebus sequentibus quotiescumque punctio est facta, puris uncia una et dimidia vel unciae tres sunt ejectae. Die XIX. ejusd. m. abscessus (7″ longus) totus cultro apertus est, cujus in fundo musculus biceps tamquam praeparatus videbatur. — Interea ulcera, quae aegrotus, quum in nosocomium reciperetur, habebat, paene sanata erant; sed in abscessibus postea apertis per longum tempus granulationes laudabiles defuerunt. Medicamentis irritantissimis (ut argent. nitric. ʒβ in aquae destill. ℥j; Zinci chlorat. ℈β in aquae destill. ℥j; tinct. jodi, tinct. cantharid.) solis adhibitis granulationes demum sub finem mensis Januar. anni MDCCCLV paulo magis luxuriabantur. Sed habitus aegroti magnopere erat mutatus; facies pallidior evaserat; aegrotus morosus, insociabilis; interdum cibi appetentia deerat; morbus certus tamen internus dignosci non poterat. Ineunte mense Februar. pallor crescebat, vires collabebantur. Die XVIII. ejusd. inspectio urinae, quae antea nihil abnorme irregulare praebuerat, paululum albuminis in ea esse demonstravit. Die XX. ejusd. microscopio cylindri fibrinosi et corpuscula sanguinis sunt inventa. Tum etiam oedema pedum et paucis diebus post ambarum extremitatum inferiorum et scroti exstitit. Porrigebantur tinct. ferri pomat., nutrimentum roborans nec non infus. baccar. juniper., quod diureticum tamen nullius erat effectus. Inde valetudo in dies pejor fiebat. Aegrotus febricitabat, paulum edebat, plus solito bibebat. Die III. m. Mart. asciten quoque accessisse est repertum. Infus. fol. digital. ordinatum. Cujus usu quum hydrops in dies cresceret, die XVIII. ejusd. m. tinct. colocynth. est data. A die XXVIII. ejusd.

alvi profluvia, hydrope nihilominus semper augescente, per quattuor dies perdurabant, ad quae sistenda, primum opium, deinde liquor. ferri sesquichlorat., tum argent. nitric. aegrotus sine ullo effectu adsumpsit; quinto demum die extracto ligni campech. sunt repressa. Hucusque ulcera tamen, illo inter scapulam et vertebrarum columnam sito excepto, cicatrice tota aut ex parte erant obducta. Decurrente mense April. diarrhoea saepius redibat, ascites et oedema, nullo remedio omisso, in dies intumescebat. Die XI. ejusd. m. dyspnoea aegrotum corripuit; exploratione thoracis oedema baseos pulmonum adesse conjiciebantur nec non sacci pleurae exsudatum. Erysipelas in cruribus, defoliatio epidermidis, gangraena cutis. Interdum vomitus sine aliis uraemiae symptomatibus. Mortuus est aegrotus die IX. m. Maj.

Visum repertum (h. XXIV. p. m.) Exsudatum serosum in cavo pleurae utroque. Pleura pulmonalis dextra diaphragmaticae et costali adhaesit. In mediastino antico glandula suppurata. Pulmones externi emphysemate extensi, interni compressi. Tubercula nulla. Symptomata bronchitidis. Paulum exsudati serosi in cavo pericardii. De superficie cordis anteriori (sulco longitudinale) excrescentia 1″ longa, ex parte ossis duritiam praebens, pependit. Praeterea cor nonnullis telis cicatriciformibus fuit obductum. E cavo abdominali circiter viginti pondera liquoris clari subflavique defluxerunt. Hepar diaphragmati adhaerens, magnitudine normali, degeneratione steatomatosa incipiente correptum. Lien valde amplificatus, densus eadem degeneratione affectus; ejus capsula solito crassior. Renes succenturiati permagni; in sinistro cystis major

in dextro minor. In renibus initium stadii tertii degenerationis Brightii. Dextri, qui fuit major, superficies tres ostendit locos cicatrice contractos.

V. F. H. puer, XII. annos natus, parentibus sanis, mente Septembr. anni MDCCCLIV. intumescentia rubra dolenteque infra malleolum externum pedis sinistri affectus est, quae pedem plane fere immobilem reddidit. A medico quodam consultato hirudines pluries in usum vocatae nullum habuerunt effectum, item unguenta emplastraque adhibita. Tumor sponte est apertus magnamque puris copiam reddidit. Deinde ulceri unguentum quoddam quotidie imponebatur. Initio mensis Maj. anni MDCCCLV. in superiori sterni corpore tumor similis exstitit, qui eodem modo mox apertus est jamque tractabatur. Die X. m. ejusd. aegrotus in clinicum chirurgicum receptus est. Quamquam faciem valde pallidam praebebat, malis localibus exceptis, bene se habere contendit. Investigatione instituta, aegroti calcaneum et costam quartam dextram carie correpta esse constitit.

Pus copiosum, liquidum, malum secernebatur; granulationes erant laxae, fungosae; partes molles vicinae inflammatae. Cura, quam oportebat, instituta, caries calcanei priore tempore abire videbatur; sed diebus paucis interjectis partes molles circa ossa aegra sitae in dies dilabebantur; pus, quod copiosum ex ulceribus pro fluebat, tenuius et foetidius reddebatur. Vires aegroti eodem gradu exhauriebantur, quamquam ad eas sustentandas omnibus remediis utebatur. Die XX. ejusd. albumen

et cylindros fibrinosos aegroti urina primum ostendit. Alvi profluvia incedebant, quae nullo remedio plane sisti poterant (meliore effectu erat extractum ligni campech). A die II. m. Jun. aegrotus interdum vomitabat. Mox accesserunt oedema palpebrarum et pedum. Die X. ejusd. aegrotus parentum voluntate ex nosocomio est dimissus.

VI. C. M. XXX. annos natus, mercenarius, quum die XXI. m. Octobr. anni MDCCCLIII. in clinicum chirurgicum reciperetur, periostitide, causa ignota exorta, ossis frontalis, ossis parietalis sinistri, tibiae sinistrae mediae jam sex hebdomadibus laboravit. Ossibus inflammatione affectis respondentia ulcera profunda, sinuosa in partibus mollibus videbantur. Suspicio, aegrotum lue universali esse infectum, adhuc neutiquam ipsius confessione est confirmata. Periostitis et ulcera capitis mense Mart. anni MDCCCLIV. demum erant sanata. Ulcus autem cruris saepissime cicatrice obductum, periostitide tibiae serpente, iterum iterumque recrudescebat atque adhuc non coiit. Etiam abscessus majores minoresve in telis cellulosis ulceri propinquis interdum apparebant. In tibia dextra anteriore media exostosis magnitudine juglandis procrescebat. A die VII. m. Jul. hujus anni aegroti urina albumen coagulaque fibrinosa continebat, nec non extremitates inferiores interdum oedematose intumescebant. Die XX. m. August accessit ascites, qui, quamquam aegrotus ferri praeparatis et diureticis utebatur, quo copiam urinae solito majorem redderet, usque ad hoc ipsum tempus non evanuit.

VII. I. W. mercenarius, nunc viginti annos natus, die XXIV. m. Mart. a. MDCCCLIV. in clinicum chirurgicum receptus est, laborans carie necrotica fibulae sinistrae dimidii inferioris, quod malum circiter ante quinque hebdomades, crure lapidi illiso, ab intumescentia cruris inceperat. Aegrotus, quamquam parentibus sanis erat natus et ad id tempus bene se habuerat, faciem praebuit pallidam ac corpus male constitutum. Tum etiam partes molles circa os aegrum valde erant tumidae, occupabanturque duobus saeparatis abscessibus, quorum unus erat situs super articulo pedis.

Die I. m. April. articulus, membranis pure erosis, ulceratione est apertus, unde mali localis talis factus est status, ut fieri non posset, quin die III. m. April. fibulae dimidium inferius (una cum malleolo) resecaretur. Quod factum sequentes suppurationes erant longinquae ac copiosae. Fibulae resecta pars tamen paulatim regenerabatur. Die V. m. Jun. in vinculis subjiciendis hydropem genu dextri animadvertimus, qui sine dolore aegroto inscio erat exortus. Emplastris cantharid. ordinar. quattuor, alio post alium, regionibus circa articulum sítis applicatis die XII. m. Jun. omnino evanerat. Die III. m. Jul. juxta vulnus resectione effectum, quod etiam tum per totam longitudinem $\frac{1}{2}''$ latum fuit, abscessus longitudinalis, repente exortus est visus, quo aperto vulnus alterum 4″ longum exstitit. Die XI. m. August. per vulnus prius, quod interea telis cicatriciformis in tres erat divisum partes, specillo ad recreatae fibulae, cujus ambitus latior ulcerum sanationem retardebat, locum necrosi affectum perveniri potuit. Ex eo tempore inter-

dum particulae osseae mortificatae e superficie fibulae exfoliabantur, interdum forcipe protrahebantur. Nihilominus articulus pedis erat restitutus, pes in dies expeditius movebatur. Mense Septembr. ejusd. a. aegrotus lymphangitidem femoris sinistri vehementem passus est.

A mense Octobr. usque ad m. Decembr. hujus anni bis brevi intervallo periostitis circumscripta tibiam dextram anteriorem tentavit, quae omni tempore in cariem transiit et consanuit. Die XIX. m. Jul. tandem aegroti debilitati urina haud parum albuminis continuit. E quo tempore interdum etiam oedema leve extremitates inferiores invadebat. Die XX. m. August. aegrotus, quum (sex) ulcera parva, quae tum etiam fibulam regeneratam circumdabant, os nudum non ostenderent, rus est dimissus.

VIII. W. M. XVIII. annos natus, servus, die XIV. m. August. hujus anni in nosocomium receptus, supra condylum internum femoris sinistri ulcus fistulosum ostendebat, per quod digito recta ad os femoris perveniri atque cloaca magnitudine numi sentiri poterat, quae in profundum os et ad sequestrem ducebat, qui capsula ita circumdabatur, ut moveri non posset. Femur totum ambitum dextro latiorem habere videbatur; glandulae inguinales valde tumidae. Malum originem ducebat e tumore duobus annis ante exorto, qui a medico quodam incisus ad id tempus cataplasmatibus erat tractatus multumque puris secreverat. Ceteroquin omnino bene se habere aegrotus contendit. Die XXX. ejusd. m., usque ad quem diem, nisi duae ossis lamellae essent exfoliatae, femur

nihil esset mutatum, aegrotus, alvi profluviis praecedentibus, habuit horripilationem, quam calor mordax, pulsusque frequentissimus (centum et triginta) secutus est, qua propter chinini sulphurici gr. jj. quinquies per díem porrigebantur. Die XXXI. ejusd. horripilationes quater redierunt. Nulla aderat cibi appetentia; sitis vehemens urebat fauces; profluviis alvi continuis aegroti vires exhauriebantur; facies colorem ducebat subcaeruleum. Ex ulcere pus effluebat liquidum, flavum, foetidum. Ad ligaturam oleum therebintinae addebatur. Die I. m. Septembr. Horripilationes vehementiores per longum tempus durantes apparuerunt, inter quas aegrotus perfricabatur, et deinde opertoriis laneis contegebatur. Die II. ejusd. Collapsus major. Quater horripilationes aegrotum per diem vexabant. Ad dolores sedandos initio horripilationum inhalationes chloroformii adhibebantur, sed perparvo tantum effectu. Ex quo affectiones pyaemicae intraverant, urinae parum quotidie erat redditum; urina fuerat acidissima, ignea, salibus uricis satiata. Hodie aegrotus ita fuit debilis, ut mingere non posset. Urina cathetere emissa sex uncias aequavit, fuit rubida, acida, subnubila, continuit albumen longosque cylindros fibrinosos. Quum aegrotus chinini solutionem, quotiescumque sumpserat, evomeret, veratrini grani pars vicesima in horas duas ordinata est. Die III. ejusd. Horripilationes non deerant. Veratrinum vomitu reddebatur. Aegrotus querebatur de doloribus continuis in regione costae dextrae XI. et XII., qui inspiratione crescebant. In inspirando diaphragma minime fere movebatur. Dyspnoea. Diarrhoea. Applicatio catheteris. Die IV. ejusd. Horripilatio una. Defectio

virium universalis. Aegroti, suae mentis non plane compotis, corpus totum doloribus conflictabatur. Urina, cathetere applicato, reddita uncias duodecim aequans ejusdem fuit qualitatis, quam descripsi. Aegrotus mortuus est die V. m. Septembr. mane circa horam octavam.

Visum repertum. Utraque pleuritis suppurativa; imprimis in dextro pleurae cavo copia puris magna. Abscessus, qui metastasi exorti dicuntur, nonnulli in pulmonibus adfuerunt. Cor laxum. Hepatis diaphragmati veteribus adhaesionibus adhaerentis, lobus dexter sanguine abundavit. Lien amplificatus, laxus, abscessu parvo instructus. Renes maxime laxi degenerationis Brightii stadium primum et alterum ostenderunt. — Praeterea multa in musculis et venis femoris sinistri pyaemiae symptomata sunt inventa nec minus sequester, qui magnitudine duorum femoris tertiariorum capsula angusta fuit circumdatus.

VITA.

Ego Mathias Reiner Luxembourg, confessioni addictus catholicae, natus sum Aquisgrani die XV. mensis Septembris anni hujus saeculi XXXI. patre optimo Josepho Luxembourg, qui anno vixdum tertio a me exacto diem obiit supremum, matre carissima Theresia e gente Rumpen, quam adhuc superstitem duplici amore amplector. Inde a duodecimo aetatis anno Gymnasium Aquisgranense octo per annos frequentavi. Auctumno anni h. s. LI. testimonium maturitatis nactus in universitatem literariam Bonnensem me contuli arti medicae me dediturus. Ab Ill. Bauerland t. t. fasces tenente academicos civibus academicis adscriptus et apud Ill. Naumaun, ordinis medicorum decanum, nomen rite professus per quinque semestria interfui, hisce scholis:

Ill. Bischof: de chemia organica et anorganica. Ill. Noggerath: de mineralogia. Ill. Plücker: de physice. Ill. Trevira-

nus: de botanicae. Ill. Troschel: de zoologia. Exp. Brandis: de plantis horti botanici. Ill. van Calker: de logice; de psychologia.

Ill. Mayer }
Ill. Weber } de anatomia generali et speciali.
Ill. Mayer }
Ill. Weber } de arte cadavera rite dissecandi.
Ill. Budge }

Ill. Budge: de physiologia; de syndesmologia. Cel. Albers: de materia medica: de methodo formulas medicaminum rite concinnandi. Ill. Naumann: de encyclopaedia et methodologia medica; de pathologia et therapia generali; de semiotice et aetiologia generali; de phathologia et therapia speciali. Ill. Wutzer: de chirurgia generali et speciali; de operationum chirurgicarum praeceptis et apparatu instrumentorum chirurgicorum; de morbis ossium; de anatomia chirurgica. Ill. Kilian: de arte obstetricia; de morbis mulierum.

Exercitationibus physiologico- et phathologico- chemicis a Cel. Boedecker moderatis interfui. In clinico medico (propaedeutico) Ill. Naumann, in clinico chirurgico et ophtalmiatrico Wutzer duces mihi fuere.

Paschali tempore anno h. s. LIV. almam adii Gryphiam ibique in civium academicorum numerum a Rectore Magnifico Ill. Beseler receptus et in album facultatis medicae ab Ill. Haeser t. t. Decano inscriptus per tria semestria audivi disserentes:

Cel Schultze: de anatomia comparata. Exp. Haeckermann: de auscultatione et percussione una cum exercitationibus practicis; de medicina forensi; de politica medica. Exp. Pohl: de selectis anatomes phatologicae capitibus; de morbis chirurgicis colli. Exp. Hoppe: de histologia; de zoochemia cum demonstrationibus. Cel. Laurer: de toxicologia; de arte fascias chirurgicas rite alligandi. Ill. Schultze: de anatomia pathologica. Cel. Eichstedt: de morbis cutis; de operationibus obstetriciis; de exercitationibus obstetriciis in phantomate institutis. Ill. Haeser: de morbis epidemicis; de historia medicinae. Ill Bardeleben: de ophthalmiatrice; de ossium fracturis et luxationibus.

Exercitationibus clinicis medicis Beat. Berndt et Ill. Haeser, nec non iis chirurgicis ac cursui operationum chirurgicarum Ill. Bardeleben, scholis deinde clinicis obstetriciis Cel. Eichstedt interfui.

Quibus viris omnibus egregie de me meritis gratias ago, quas debeo, maximas.

THESES.

I.

Morbus Brightii in casibus quibusdam sanari potest operatione chirurgica.

II.

Inchoante pneumonia crepitatio ejus praesentiam confirmat; quae non negatur absentia crepitationis.

III.

In angina membranacea tracheotomia non est rejicienda.

IV.

Ulcus syphiliticum in meretricibus oriri potest spontaneum.

V.

Pulsus solus non febrimensor.